

minore autem iudicio critico, *Monasticon Augustinianum*, in quo Ordinis S. Aug. aliorumque fere quinquaginta origines et incrementa explicavit, Monachii, 1623.

218. — **Chrys. Henriquez** (†1632), Ord. Cisterc., Hispanus, mira eruditione et diligentia praeclara conscripsit opera quae suum ordinem illustrant: *Fasciculus sanctorum Ord. Cist.*, Bruxellis, 1623; *Thesaurus evangelicus*, Matriti, 1619; *Sol Cisterciensis in Belgio*, et alia.

219. — **Richardus Broughton** (†1634), natione Anglus, studiorum curriculo in collegio Rheimensi emenso, sacerdos factus et in patriam redux ibi missionarii cursum egregie explevit. Confecit anglice plura opera non infimi valoris: *Ecclesiastical History of Great Britain*, Duaci, 1633; *A true Memorial of the ancient and religious state of Great Britain*, Londini, 1650; *Monasticum Britannicum*, Londini, 1655.

220. — **Jo. Adolphus Cypraeus** (†1634), quondam Lutheranus praeco Slesvicensis, ad veram fidem conversus composuit magni momenti opus: *Annales episcoporum Slesvicensium*, in quo Ecclesiae originem, propagationem ac

statum prosperum in regno Daniae et finitimis Slevici et Holsatiae ducatibus breviter et dilucide tractat. Pater ejus jam inceperat elaborare et colligere facta et momenta historica, quibus ipse filius usus est ad exarandam historiam fide summa dignam. Coloniae, 1634.

221. — **Cornelius Thielmans** (†1634), O. S. Franc., Bruxellensis, descripsit *Acta sociorum S. Francisci* et in lingua flandrica plures *vitae* Sanctorum ejusdem Ordinis, Antwerpiae, 1617.

222. — **Dionysius Mudzaerts** (†1635), Ord. Praemonstr., Tilburchius in Belgio (nunc in Hollandia) compilavit lingua vernacula ex probatissimis auctoribus *Historiam Ecclesiasticam Belgii*, Antwerpiae, 1624.

223. — **Claudius Robert** (†1636), archidiaconus et vicarius generalis dioecesis Cabillonensis (Châlons-sur-Saône), edidit opus pretiosum, cui titulus: *Gallia Christiana*.

224. — **Abraham Bzovius (Bzowski)** (†1627), Ord. Praed., natione Polonus, eruditione ac sedulitate clarus, Mediolani et Bononiae philosophiae et theologiae lector, in patriam redux

magnus orator, professor ac scriptor evasit. Postea Romam profectus, totum se dedit Historiae Ecclesiasticae conscribendae. Ex annalibus Baronii epitomen confecit duobus tomis : *Historia Ecclesiastica ex illustr. Caes. Baronii Annalibus aliorumque viror. illustr. ecclesiasticis historicisque momentis*, Romae 1616. Ipse tunc Annales Baronii prosecutus est usque ad annum 1572. Insuper edidit *Vitam S. Cunegundis Poloniae reginae*, Romae, 1633, et *Nomenclaturam Sanctorum professione medicorum*, Romae, 1621.

225. — **Henricus Murer** (†1638), Ord. Carthus., Badenae in Helvetia natus, de historia sacra suae patriae bene meruit colligendo *Helvetiam sanctam* seu *Paradisum sanctorum* Helvetiae florum, quod opus post mortem auctoris Lucernae, 1648, fuit editum.

226. — **Aubertus Miraeus** sive **Le Mire** (†1640), Bruxellensis, discipulus Justi Lipsii cujus *vitam* concinnavit (Antwerpiae 1609), episcopo Antwerpiensi patruo suo a secretis, protonotarius apostolicus et defuncto patruo vicarius generalis, vir doctrina et eruditione excellentissimus, studiis scriptisque clarissi-

mus, solida pietate suavitateque morum omnibus amabilis, « sol Belgarum inter tot sidera, caliginem, torporem, frigus pellens, » — collegit miro labore *Rerum toto orbe gestarum chronica a Christo nato ad a. 1608*, Antwerpiae, 1608. Insuper edidit *Bibliothecam Ecclesiasticam*, Antwerpiae, 1639; *Politiam Ecclesiasticam*, Coloniae, 1609; *Notitiam episcopatum orbis universi*, Antwerpiae, 1611; *Notitiam ecclesiarum Belgii*, Antwerpiae, 1630.

227. — **Stanislaus Lubienski** († 1640), episcopus Plocensis, vir nobilis et eruditus, Cathedralis suae ecclesiae instaurator scripsit *Vitas praesulum Plocensium*, Cracoviae, 1643.

228. — **Andreas du Chesne** sive **Quernacus** († 1640), Turonensis, chronographus regius, vir laicus, pater Historiae Galliae dictus, in rebus historicis valde eruditus, industria ac diligentia fere incomparabilis, innumera plane edidit opera quorum praestantissima sunt : *Histoire des Papes jusqu'à Paul V*, Parisiis, 1616; *Bibliotheca Chuniacensis*, ib. 1614; *Series auctorum omnium*, ib. 1633.

229. — **Severinus Binius** († 1641), Colonien-

sis academiae rector magnificus et postea dioecesis Col. vicarius generalis, collegit *Concilia generalia et provincialia*, quae reperire potuit eaque cum annotationibus historicis ex Baronio desumptis edidit Coloniae, 1606.

230. — **Antonius Caraccioli** († 1642), clericus regularis Neapolitanus, vir scientia sacra et virtute eminens, reliquit librum pretiosum *De sacris ecclesiae Neapolitanae monumentis*, Neapoli, 1640. Idem scripsit *de vita Pauli IV* aliorumque virorum illustrium.

231. — **Henricus Spondanus** († 1643), natione Gallus ex parentibus calvinianis a. 1568 ortus, Turonii causidicus, a. 1595 ad veram Ecclesiam reversus, Romae a. 1606 sacerdotio initiatus et ab Urbano VIII a. 1626 episcopus Apamiensis constitutus fuit (1). Vir erat vere pius, bonus et vigilans gregis suae pastor, eruditione omnigena resplendens. Opera ejus pro-

(1) Conservantur Spondani verba omnino pulchra ab eo emissa, quando ad onus episcopale suscipiendum cogebatur: " Considero gradum, et casum vereor; considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum: attendo celsitudinem honoris, et e vicino reformido pro eo, quod scriptum est: "*Homo cum in honore esset, non intellexit*" „, ac si diceret: Honor absorbit intellectum.

batissima sunt: *Coemeteria sacra*, Parisiis, 1638; *Annales Baronii in epitomen redacti*, Parisiis, 1612; *Annalium Baronii continuatio* ab a. 1197 ad a. 1640, Ticini, 1675-1682.

232. — **Nicolaus Hugo Menardus** († 1644), Ord. S. Benedicti congr. Maur., Blessensis, vir humilis, pius ac doctissimus, bene de antiquitatibus ecclesiasticis meruit. Edidit *S. Gregorii I Papae librum sacramentorum* cum historicis notis eruditissimis, Parisiis, 1642; *Martyrologium Sanctorum* Ord. S. Ben., ib. 1629; dissertationem historicam *de unico Dionysio Areopagita*, ib. 1644.

233. — **Joannes Vincent** († 1648), dioecesis Lemovicensis in Gallia, contexit *Annales sacros* a mundi initio ad a. 34 p. C. n., Parisiis, 1634.

234. — **Melchior Inchofer S. J.** († 1648), Austriacus, Romae societatem Jesu ingressus, diu philosophiam et theologiam docuit Messinae. Collegit *Annales Ecclesiasticos regni Hungarici usque ad a. 1059*, Romae, 1644.

235. — **Angelus a S. Francisco** († p. 1649),

Ord. S. Franc., natione Anglus, theologiae lector, composuit *Certamen Seraphicum*, in quo Fratrum Minorum certamina pro Christi fide suscepta describuntur, Duaci, 1649.

236. — **Angelus Maurique** († 1649), ex Ord. Cisterc., Hispanus, Atlas Salmanticensis academiae dictus, ab a. 1645 episcopus Pacensis (Badajoz), diligenter composuit *Annales Cistercienses*, qui historiam Ecclesiae universalem illustrant, Lugduni, 1659.

237. — **David Rothe** († 1650), episcopus Ossoriensis et martyr pro fide gloriosus, edidit *Analecta*, in quo multa reperies, quae historiam ecclesiasticam Hiberniae tempore Elizabethae et Jacobi I elucidunt (Ed. ab Em. Card. Moran, Dublini, 1884).

238. — **Michael Alfodus sive Griffith, S. J.** († 1652), Londinensis, in patria missionarius strenuus et fidei confessor fortissimus, scripsit *Annales ecclesiae Britannicae*, Leodii, 1663, et *Britanniam illustratam*, Antwerpiae, 1641, quod utrumque opus praestantissimum cognoscendae historiae Angliae ecclesiasticae maxime inservit.

239. — **Rocchus Pirrus** († 1654), patria Siculo, canonicus et protonotarius apostolicus, bene de historia Sicula sacra meruit erudite conscribendo *Siciliam Sacram*, quod opus editum fuit accurate emendatum Lugduni Bataavorum, 1720.

240. — **Richardus Smith** († 1655), Lincolnensis, in collegio Duacensi theologiae professor, episcopus Chalcedonensis et in patria sua vicarius apostolicus, postea propter controversias ipsum inter et regulares exortas in Galliam secedere coactus, conscripsit *Florum historiae ecclesiasticae gentis Anglorum libros VII*, Parisiis, 1654.

241. — **Aegidius Gelenius** († 1656), archiepiscopi Coloniensis historiographus, deinde episcopus Aureopolitanus, edidit opus insigne, cui titulus: *Vindex libertatis ecclesiasticae et martyr S. Engelbertus archiep. Colon.*, Coloniae, 1633.

242. — **Simon Starevolscius seu Starawolski** († 1656) collegit *Vitas antistitum Cracoviensium*, Cracoviae, 1655, quod opus est magni momenti pro historia ecclesiastica Poloniae.

243. — **Lucas Waddingus** († 1657), Ord. Min., natione Hibernus, patria Waterfordensis, vir religiosissimus doctissimusque, Innocentio X qui eum saepe de quaestionibus theologicis consulebat carus, collegii Hibernorum S. Isidori Romae fundator et praeses, posteritati magnum nomen reliquit suo opere: *Annales Minorum*, in quibus res gestae trium ordinum a S. Francisco institutorum narrantur, Lugduni, 1625-1654.

244. — **Joannes Colganus** († 1658), Ord. S. Franc., natione Hibernus, patria Dungallensis, theologiae lector Lovanii, in rebus historicis Hiberniae versatissimus, accurate congegessit *Acta sanctorum veteris et majoris Scotiae seu Hiberniae*, Lovanii, 1645, atque edidit *Trias thaumaturga*, scilicet acta SS. Patritii, Columbae et Bridgidae, Lovanii, 1647.

245. — **Aegidius Gonzalez** († 1658), Hispanus, magnam sibi laudem comparavit duplici opere egregie conscripto: *Theatro ecclesiastico de las Iglesias de los Reynos de las dos Castillas*, Matriti, 1650, et *Theatro ecclesiastico de la Iglesia de las Indias occidentales*, ib. 1656.

246. — **Joannes Pet. Puricelli** († 1659),

sacerdos Italus, vir eruditione et virtute clarus, plures edidit *dissertationes historicas* praeter opus suum notissimum: *Ambrosianae Mediolani basilicae ac monasterii hodie Cisterciensis monumenta*, Mediolani, 1645.

247. — **Joannes Morinus** († 1659), Congreg. Oratorii, archaeologus celeberrimus, ex Calvinismo ad veram fidem conversus, a papa Urbano VIII multi aestimatus, varia conscripsit opera historica eruditione referta, inter quae eminent *Exercitationum ecclesiasticarum libri II*, de patriarcharum et primatum origine, Parisiis, 1626; *Histoire de la délivrance de l'Église Chrétienne par l'Empereur Constantin*, ib. 1630; *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae*, ib. 1651.

248. — **Antonius Sanderus** († 1664), Gandavensis in Belgio, Lovanii et Duaci sacris scientiis incubuit. Pastorale officium magno zelo gessit. Canonicus Iprensis ecclesiae constitutus fuit, sed dignitate illa mox se abdicavit et in hospitalem abbatiam Affligemiensem recessit, ubi se totum historiographiae dedit. Vir erat infatigabili diligentia, eruditione mirabili et ingenio sublimi, rerum Belgicarum historicus celeberrimus.

rimus. Stylo sat eleganti composuit magnum opus, cui titulus: *Flandria Illustrata*, Coloniae, 1641-1644. Edidit et alia opera curiosa, quorum sunt praecipua: *Elogia cardinalium* sanctitate, doctrina et armis illustrium, Lovanii, 1625; *Gandavium sive rerum Gandavensium libri VI*, Bruxellis, 1627; *Chronographia sacra Brabantiae*, ib. 1659.

249. — **Joannes Bollandus S. J.** († 1665), in ducatu Limburgensi a. 1596 natus, a. 1612 societatem Jesu ingressus, cunctis sodalibus praeluxit exemplo pietatis, sedulitatis et obedientiae. Postquam philosophiam felicissime absolvisset et humaniores litteras docuisset, Lovanii theologiae magno successu operam navavit. Defuncti Heriberti Rosweidi operi exequendo Bollandus datus est successor aptissimus, cum non solum doctrina, judicii sagacitate atque eruditione, sed et vitae sanctitate conspicuus esset (1). Ipse adhuc vastius et amplius concepit opus de actis sanctorum edendis. Ausus est totam Europam circumspicere, et ex singulis fere provinciis Societatis Jesu

(1) *Exempla clara sanctitatis nostri Bollandi* exhibet Hurter, II, 223 et seq.

socios invitavit ad operam conferendam. Amplissimum ei fuit cum viris eruditis omnium regionum epistolare commercium, qui eruditionem Bollandi stupendam admirantes consulebant ipsum tanquam oraculum orbis christiani in summis historiarum difficultatibus et quaestionibus nodosis abstrusisque. Primum crescentis operis socius adjunctus est Godefridus Henschenius et postea Daniel Papebrochius, qui magistrum et ducem lucubrationibus praesertim Romae factis adjuverunt. « Ut autem commodius scripta librosque suos, quorum immensam congegit copiam, digerere iisque uti posset, proprium impetravit museum, quod apte instruxit ac gradatim ditissimum atque celebratissimum factum est thesaurus litterarius ». *Acta sanctorum mensis Januarii* post multas vigiliis ac sudores prodierunt a. 1643 affeceruntque omnes vere eruditos maxima laetitia cunctosque christianos indicibili solatio (1). « Utilius opus »,

(1) Bollandus *Acta SS.* quinque voluminibus deduxit ad mensem Martii. — Henschenius aliique Jesuitae opus prosecuti auxerunt illud ad 49 volumina. Societate Jesu suppressa, Jesuitae Byens et Bueus una cum Fonsono can. regul., Bertholdo O. B. et Praemonstratensibus Dykio, Goorio et Stalzio tria volumina addiderunt. Patres Societatis in Belgio opus resumentes et summa cum laude prosequentes nunc tomum III mensis Novembris aggressi sunt.